



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniae Agrippinae, 1707**

Q. 51. An metus gravis excuset, ut quis possit retinere Beneficium, alioqui propter simoniam dimittendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42515**

224 §. 5. Mediatores, seu qui procurant beneficium sic resignari vel obtineri, excommunicantur ipso facto, sed non prius, quam Simonia illa sit utrimque realis & completa, uti habent *Suar.* n. 15. *Laym.* num. 78. *Pirh.* num. 115.

225 Q. 50. Si actus, in quo committitur simonia, sit invalidus, an poena Juris incurrantur. R. Si sit invalidus ratione ipsius Simoniae, patet incurri: Si autem sit invalidus aliunde, quam ratione Simoniae, v.g. si quis pro pecunia renunciet beneficium, non ex animo, sed fictè, absque autoritate Superioris, cum consensus & autoritas requiratur ad valorem istius renunciationis, committi quidem poterit Simonia, sed non incurrantur poenae, quia ut hæ incurrantur, actus debet esse talis, ut nisi Simonia interveniret, foret validus, hic autem actus est aliunde invalidus, uti dictum est, ita *Nav. Sanch.* aliique cum *Lugo* in *Resp. Mor.* L. 2. D. 3.

226 Q. 51. An metus gravis excuset, ut quis possit retinere beneficium, alioqui propter simoniam dimittendum. R. Si Simonia sit occulta, & adsint circumstantiæ gravis infamiæ certò incurrendæ, non videtur esse obligatio dimittendi beneficium, vel in se exequendi alias poenas simoniæ; nam imprimis docent *Suar.* de *Cens.* d. 13. Sect. 1. n. 11. & *Diana* P. 4. T. 4. R. 56, si quis, cui offertur occasio beneficii, esset inhabilis, v.g. ob excommunicationem, & subiret periculum infamiæ vel scandali, si non acceptaret, non teneri suam inhabilitatem prodere, sed posse sine scrupulo acceptare, cum obligatione petendi dispensationem, quia Ecclesia non censetur velle obligare in tali casu cum tali incommodo: Deinde idem *Diana* P. II. T. 5. R. 56. & *Sanch.* in *Conf.* L. 2. c. 1. d. 34. n. 14. docent, quando

quando defectus est occultus, & ex dimissione beneficii vel petitione novæ provisionis magnum damnum statûs vel famæ pateretur, v. g. quia alii aliquod grave malum de illo suspicarentur, eò quòd nullus alius appareret color, cur beneficium illud dimittat, posse illud retinere, nec teneri dimittere cum gravi famæ jactura. *Confirm.* Nam diximus L. 1. à n. 775, & docent AA. communiter cum *Sanch.* in Dec. L. 1. c. 18. n. 16, Leges humanas non obligare, ubi est periculum incurrendæ gravis infamiæ vel alterius gravis incommodi: teneretur tamen sic provisus omnes fructus, quos perciperet, restituere Ecclesiæ vel pauperibus, & insuper dimittere beneficium cesante illo periculo.

Q. 52. *An Papa possit incurrere simoniam & pœnas.* 227  
 R. Potest incurrere Simoniam Juris naturalis & divini, uti per se patet; an autem etiam Ecclesiastici, disputant Authores, negant *Suarez & Bonacina*, quia hoc ipso, quòd velit hoc vel illud agere, dispensat in Lege statuente Simoniam: affirmant *Less.* & alii, quia tenetur etiam suis Legibus, saltem quoad vim directivam, nec ideo dispensat, quòd contrà agat; quidquid sit de hoc, certum est, quòd nullas incurrat pœnas Jure Ecclesiastico etiam contra Simoniam Juris naturalis statutas, quia vis coactiva Legum propriarum non stringit Legislatorem, uti dictum est Lib. 1. num. 674. Quòd si aliquis cum Papa committeret Simoniam, secundùm communiorem sententiam incurreret pœnas, nisi Papa antecederet expressè cum ipso dispensaret: in hoc tamen contradicunt alii cum *Diana P. 10. T. 16. R. 16*, quia putant Pontificem ipso facto dispensare, secundùm illud axioma, quòd scientia Principis purget crimen, quantum ad pœnas Juris positivi: